

Johann Wilhelm Schmid

Praemissa est commentationis, in qua remissionis peccatorum notio biblica indagatur


**Particula III : Sacra Natalitia Iesv Christi Pie Celebranda Civibus Commendat
Academia Ienensis**

Ienae: Typis Fiedlerianis, MDCCLXXXVII

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862377633>

Band (Druck) Freier  Zugang





87

Fa 1092 (87.)

A. M. Synonymum
Rostock im Jun. 1815.

Dissertationes

- 1, De veris bonarum artium literarumque incrementis ex libertate publica, Oratio, Dieta a Chr. Gottl. Heyne. Göttingen 1763.
- 2, Dissertatio historico-theologica de locis theologicis, col. lectos ex Leon. magno pontifice romano scriptis. Auctor Joh. Jac. Griesbach. Halae 1768.
- 3, De fide historica ex ipsa rerum, quae narratur natura, judicanda. Auctor. Joh. Jac. Griesbach. Halae 1768. -
- 4, Orationem Augustanae confessionis memoriae ex instituto Lynkeniano ipsa Cal. Octobr. 1791 habendam, indicat Chr. Godofr. Schütz, prof. ord. Senae.
- 5, quod. scilicet altera
- 6, Oratio in anniversariis inaugurationis sacrae academiae Georgicae Augustae, habita a Chr. G. Heyne, prof. eloq. Göttingae 1776.
- 7, Observationes nonnullae ad historiam dogmaticam de spiritu sancto a Joh. Georg. Cosenmüllero Erlangae.
- 8, De theologiae christianae origine, Dissertatio Joan. Georg. Cosenmülleri, Lipsiae. -

- 9, Ab lauro, dissertatio de accommodatōne
Christi in primis & apostolicis tribula
Lipsiæ, 1793.
- 10, Dr. Joan. Guil. Rad P. P. O. de
Joannis baptistae in rem christianam
studiis. Sectio I. Erlangæ
- 11, Sectio II.
- 12, Dr. Georg. Friedr. Seiler summo in theologia
honores in virum gen. et mas. reo Gottl.
August de Staenöner rite collatos indec. 7
Erlangæ, 1792.
- 13, De vaticinationum causis atque finibus, Dissert.
Dr. Seiler. Erlangæ.
- 14, Sectio II.
- 15, Dr. Ammon, brevis argumenti: pro summi
numinis existentia recognitionis. Pars prior, Erlangæ
- 16, Pars II.
- 17, Dr. Seiler summo in theol. hon. in Mag. Staenlein
rite conferendos indec. 7. Erlangæ 1795.
- 18, Michael Weber, prof. ord. de discrimine legitime et
licite, recte et honesto factorum in l. N. J.
proposito, vulgo neglecto.
- 19, Michael Weber ad memoriam resurrectionis Christi,
rite celebrandam invitatur, 1793.
- 20, Memoriam natalitatis Jesu Christi que recollenda
vobis commendat a academia Jenensis, 1794.
- 21, Part. II. 22, Part. III.
- 22, Commentatio de consilio, quo scriptor in act.
apost. concinnandis ductus fuerit, Senæ 1818.
- 23, De verbis Christi et notōibus de adventu
Christi in N. J. oblati in primis. Jesu vate
cino Matth. 24 a Tychsen Göttingæ 1785

Josephus Juley

22. —

SACRA NATALITIA
IESV CHRISTI

PIE CELEBRANDA

CIVIBVS

COMMENDAT

ACADEMIA IENENSIS.

*Praemissa est commentationis, in qua remissionis peccatorum
notio indagatur, particula III.*

IENAE

TYPIS FIEDLERIANIS.

CIOCI^oCCLXXXVII.

14.3

ANTHONY ARNOLD
LESSY CHRISTI

THE

OF

THE

OF

OF

OF

OF

OF

OF

OF

OF

OF

OF

OF

OF

OF

OF

DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGA-
RIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS THVRINGIAE
MARCHIO MISNIAE COMES PRINCIPIS DIGNITATE
HENNEBERGAE COMES MARCAE ET RAVENSBERGAE
DYNASTA RAVENSTEINI REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

C I V I B V S.

In altera hujus commentationis parte demonstravimus, valde mancam et imperfectam in *Psalms* aliisque hujus saeculi scriptis remissionis peccatorum notionem fuisse, ita ut in sola poenarum terrestrium sublacione aut imminutione eam posuerint, et immunitatem a poenis animi moralibus, vitaeque alterius tam felicem quam infelicem statum plane ignoraverint scriptores sacri. Puriorem nimirum regni moralis adumbrationem aetas illa nondum exulta haud ferebat; et quum legibus tantum positivis Dei velut summi ac potentissimi imperatoris, omnis felicitatis auctoris, homines sensuum potestate ducti, obstrictos se putarent, nihil eos in officio continere poterat, nisi poenae atque praemia terrestria cum observatione et transgressione legum divinarum conjuncta.

Sed ad novam illustriorem periodum transeamus, aetatem illam memorabilem, in qua *prophetae* vaticinia sua ediderunt, et
A 2 tam

ram suae genti, quam exteris nationibus futura fata prospera et adversa praenunciarunt. Excultiore hanc aetatem fuisse priori, et prophetas in promovendo meliori religionis et moralitatis sensu versatos esse, nostis, CIVES. Quare etiam reprehendi nequit, si quis clariorem et accuratiorem imputationis moralis, remuneratio- nis et veniae peccatorum cognitionem in ea quaesiverit. Et quam- vis negari nequeat, aliqua ex parte cognitionem illam emenda- ram fuisse, tamen ad veram atque claram emendationis et justifica- tionis moralis notionem illa aetate homines nondum poterant adspirare. Nostrum igitur est, hanc immutatae notionis vicissitu- dinem per singulas partes describere.

Primo *praemiorum ac poenarum qualitatem* nullam in menti- bus hominum mutationem subiisse, et sapientes populo itidem *poenas tantum terrestres earumque sublationem* annunciaisse, in aprico est. Omnes enim prophetae hunc morem semper tenuerunt, ut, si populum a cultu et obedientia Iehovae deflectentem et ad idolo- latricam ac facinorosa magna ruentem objurgarent, gravissima sup- plicia minarentur, deinde vero ad consolandos animos liberationem a calamitate et felicissima tempora promittereat. Quae quidem immunitas poenarum et emendatio fortunae adversae *remissionis peccatorum* nomine condecorata est. Non difficile erit, singulis prophetarum vaticiniis perlustratis, id quod affirmavimus, ex ipso rei adpectu manifestum et apertum reddere.

Nimirum in locis Amos. VII, 2, et Iôel. II, 12, 13. sermo est de calamitate magna per locustas frugibus perniciosas importata. *Amosus* supplex orat Iehovam, ut populo valde jam exiguo et ad interitum suum properanti ignoscat, et calamitatem hanc statim cessare jubeat. *Iôel* autem ad poenitentiam seriam hortatur, et tunc certissime sperat, fore ut Deus populo reconcilietur, ut a poenis illatis eum liberet, terram iterum fertilem ac foecundam reddat. *Iesaias* Cap. XXXIII, 24. Israëlitis plenam ereptionem ex periculo propter incurSIONEM Assyriorum imminente promittit, addens: *populum esse*

esse *וְעָרַף*, donatum remissione iniquitatis, i. e. vindicatum a peccatorum poenis. *Hiskias*, rex Iudaeorum Ies. XXXVIII, 17. a morbo gravissimo sanatus Deo gratias agit, quod miseria sua in felicitatem commutata sibi peccata condonaverit eaque respicere amplius nolit. *Hoseas* regno Israëlitico Cap. I, 6. interitum minatus: *Deum*, ait, non amplius misereri, i. e. condonare velle; contra regno Iudaico Cap. XI, 8. 9. auxilium et ereptionem promittens, ad misericordiam et placabilem Dei iram provocat. Pleraque vaticinia tum de everfione plenaria regni Iudaici et exilio Babylonico, tum de restitutione hujus regni et reditu Iudaeorum in patriam suam agunt. Ita *Iesaias* Cap. XXXX, 2. sqq. XXXXIII, 24. 25. LIV, 7—10. LV, 7. LVIII, 6—12. *Micha* Cap. VII, 15. sqq. et *Jeremias* Cap. III, 12—14. XVIII, 8. XXVI, 3. sqq. XXXI, 3. sqq. reditum illum, restaurationem civitatis, Hierosolymae ac templi, tutelam divinam contra novos inimicorum suorum impetus, aurei saeculi reditum et omnia felicitatis terrestri genera augurantur, haec autem in Iudaeos collata beneficia ad remissionem peccatorum ex gratia ac misericordia Dei oriundam referunt. Alia etiam vaticinia, ut Ion. III, 2. Ierem. V, 1—7. Thren. III, 31—33. Ezech. XVIII, 21—23. idem designare, ex universo eorum argumento et connexione cum antecedenti sermone satis luculenter apparet.

Ad hanc poenarum remissionem describendam *variis* etiam prophetae *formulis*, tum antea jam adhibitis, tum novis et antehac minus usitatis utuntur. Ista vero phrasae ita comparatae sunt, ut notionem hujus remissionis, quam sibi conceperant scriptores sacri, pressius definire queamus. Consueti vox *סלח* antea saepius occurrens et sublationem poenarum generatim tantum adumbrans, (vid. progr. II. pag. 8.) rarius adhibetur, ut Amos. VII, 2. Ies. LV, 7. Ierem. V, 1. C. XXXI, 34. Reliquae autem tropicae plerumque dictiones *tres* hujus remissionis notas *speciales* expriment, primo *finem* totius poenae plenarium, deinde *culpae peccatorum sublationem*, denique *prioris status felicitis restitutionem*.

A 3

Primo

Primo poenam penitus cessaturam et nunquam redituram esse, diferte dicitur Ies. LIII, 9. „Idem nunc ago, quod in aquis „Noae, sicut tunc iuravi, aquas Noae non amplius inundaturas „esse terram, ita etiam nunc iuro, *me tibi posthac nec iraturum „nec infestum futurum*, i. e. te non amplius puniturum esse.“ Idem etiam Iesaias Cap. LV, 7. verbis: **יִרְכָּה לְסִיחַ**, sine dubio indicare voluit, quia nexus sermonis hunc tantum sensum admittit: *Deus poenam illatam non ex parte, sed prorsum cessare jubebit.* Eodem modo Ierem. III, 12. Deus populum ita alloquitur: **לֹא אֶפְרַל בְּפָנַי בְּכֶם: לֹא אֶפְרַל לְעוֹלָם**, *non amplius demittam faciem meam* sc. ad puniendum; *non amplius servabo iram meam*, i. e. non amplius infiltam poenis vobis illatis. Quid? quod universa futuri status descriptio a vatis populo annuntiati, eos de poenis prorsus tollendis cogitasse, extra omnem dubitationem ponit.

Sed non modo liberationem a poenis promittunt vates, verum etiam, omnem improbitatem omnemque peccatorum culpam sublata iri, renunciant, idque tropicis et anthropopathicis dictionibus illustrare student. Huc referendae sunt formulae jam antea receptae: *peccata tollere*, Ies. XXXIII, 24. **הָעַם נִשָּׂא עֵוֹן**, populus, *cujus non solum poenae, sed ipsa etiam peccata ablata sunt; peccata delere et extinguere, eorumque non amplius recordari*, Ies. XXXIII, 25. **אֲנֹכִי הוּא מַחַח בְּשִׁעִיר וְחִטָּאתֶיךָ לֹא אֶזְכֹּר: Ego tua delicta deleo, tuorum peccatorum immemor sum; quem quidem tropum nova imagine adhibita amplificat Iesaias Cap. XXXIII, 22. **מַחִיתִי כְעָב בְּשִׁעִיר וְכַעֲנַן חִטָּאתֶיךָ: Delebo sicut nubem praevagationes tuas, et sicut nebulam peccata tua.** Pulchre omnino dictum. Quemadmodum atra nubes caelum obducens et terram obscurans cito praeterire solet, et solis splendore omnia illustrari permittit: ita etiam omnes calamitates celerime praeteribunt et prosperrimae aetati locum relinquent. Iisdem aut similibus dicendi formulis prophetae aliis in locis utuntur.**

Ita

Ita Ies. XXXVIII, 17. *Hiskias rex ita precatur: Post tergum tuum, Iehova, omnia peccata mea rejecisti, הַשְׁלַחְתָּ אַחֲרַי נִגְדִי*, (ita ut ab oculorum quasi conspectu removeantur,) *Jeremias Cap. XXXI, 34, Condonabo, ait, iniquitatibus eorum, et peccatorum non amplius recordabor; Micha Cap. VII, 18, 19. Quis est, o Deus, tui similis, auferens iniquitatem et praeteriens praevagationem; immo delebit s. silentio praeteribit iniquitates nostras et in fundum maris projiciet omnia delicta nostra; tandem Ezechias Cap. XVIII, 22. Si quis impius ab omnibus peccatis suis recesserit, — non morietur, non amplius recoletur omnium peccatorum suorum memoria. Omnes autem phrasas illas id innuere: Deum reatum culpae et poenae penitus abolere et peccatorem talem reputare velle, qui nulla delicta perpetraverit, ita ut facta pro infectis habeantur; nemo non lubentissime nobis concedet. (Conf. progr. II. pag. 8, 9.)*

Praeterea dicta existant, in quibus imaginem hanc culpae peccatorum *extinctae* pulchre quidem ac concinne uberius descriptam et exornatam reperimus. Ita *Iesaias Cap. XXXX, 2. iniquitatem non modo oblivioni traditam, sed etiam approbatam esse a Deo et cum beneplacito considerari* (נִרְצָה עֲוֹנָה) fingit, quod quidem ita interpretandum est: culpa sublata, pravas actiones Deus non amplius reprobatur, sed peccatorem resipiscentem et ad meliora tendentem benevolentia excipit. Deinde *Cap. I, 18. imaginem hanc ita delineat vates, ac si in iudicium Deus descendat cum homine peccante, eumque propter gravissimas poenas jam inflictas penitus absolvat, et infontem omniique culpa vacantem declarare decernat. Agite, inquit Iehova, disceptemus invicem, etiamsi coccinea fuerint peccata Vestra, albiora sient nive, et si dibaphi instar rubescant, candidiora sient lana; i. e. omni labe deleta, integritas et innocentia summa in locum prioris culpae succedet, quemadmodum David jam Ps. LI, 9. hac imagine ad describendam liberationem a culpa et poena usus est. (Vid. pr. II. p. 9. 10.)*

Poenae

Poena omni sublata ipsaque culpa extincta nihil impedit, quominus peccator ad priorem beneficiorum Dei fruitionem redeat. Quare prophetae hanc culpae et poenae remotionem annuntiantes restorationem etiam prioris status felicis, felicissimorum temporum reditum eorumque durationem perennem populo ad meliorem frugem redeunti vaticinantur, et prosperitatem novorum temporum tanquam saeculi aurei vividis coloribus descriptam ob oculos ponunt. Deus benevolentia, gratia et amore populum suum iterum amplectetur, Ies. XXXX, 2. *etiamsi montes moveantur et colles labefiant, gratia ejus non movebitur et felicitatis promissio non labefiet*, Cap. LIIII, 10. vitae melioris et bonarum actionum documentis editis populo lux (felicitas terrestris) sicut in aurora erumpet, et incolumitas celerrime progerminabit, eum integritas sua antecedit, et gloria divina eum excipiet, preces ejus exaudibit Iehova, conquerenti se adesse dicet; — orietur in tenebris lux ejus, et caligo ejus erit sicut meridies, (aerumnae ejus in felicissimum statum transibunt,) Iehova semper eum ducet, saturabit eum in siccitatibus summis s. cibis delicatioribus, (כִּצְיֹן צִחֹן) et artus ejus praestantiores reddet, erit sicut hortus irrigatus et sicut fons, cujus aquae non sunt fallaces, ab eo exstruentur loca olim devastata, et fundamenta in omnem generationem duratura ponet, vocabitur ruinarum instaurator, et qui semitas ad habitandum restituit, — oblectabitur Iehova, imperium obtinebit collium terrae, (Iudaeae montanae,) et pascet eum Iehova haereditate Jacobi parentis sui; Cap. LVIII, 8 — 14. regnum Davidis restituetur, idque opulentissimum et maxime dilatatum imperium erit et in aeternum perdurabit, Ierem. XXXIII. 15 — 22. pace perenni, quiete, ubertate, omnium bonorum abundantia et felicitate summa populus fruatur, omnibus gentibus in ditionem suam redactis, Ies. XI. XXXV. LX — LXIII. Ierem. XXXIII, Ezech. XXXVI. XXXVII. immo gentiles ipsi veram fidem amplectentur et Hierosolymis Iehovam sacrificiis colent, Ies. XXXXII, 6. XXXXVIII, 6. 7. LX, 1 — 6. LXVI, 19. 20.

In

In his omnibus duo nos melius instructos offendam necesse est, primo, quod praemia tantum atque supplicia hujus vitae sub sensu cadentia annuntiaverint, et ista, quae *spiritualia* vocantur, et quae in futura vita exspectari debent, silentio prorsus praeterierint vates; deinde quod sublationem atque extinctionem reatus culpae atque poenae statuunt, quae cum praecipis sanae rationis conciliari omnino nequit. Sed et alia sunt, quae juvenilem aetatem adhuc incultam produunt, etsi aliquos progressus clarioris cognitionis in vaticiniis illis omnino deprehendimus, quod quidem ex eo, quae Deum remittere peccata dicunt, animo, et ex conditionibus, quibus veniam hanc exspectantes adstringunt, colligere licet.

Ad prius quod attinet, imperfecta illa et anthropopathica representatio irae divinae ex inobedientia hominum ortae, supplicii expiandae, his vero inflictis penitentim paullatim defervescentis et in gratiam ac misericordiam commutatae, qua antiquissimo tempore Moysi et patriarcharum communis poenarum et peccatorum veniae notio effingebatur, a prophetis etiam plerumque adhibetur. Unde notio illa in singulas partes divisa varias animi divini mutationes complectitur.

Deus primo violatione legis suae et praesertim idololatria ob honorem sibi detractum se valde offensum sentiens magna iracundia et vindictae cupidine in peccatorem exardescit, ideoque gravissimis suppliciis eum afficit. Non statim quidem punit, tardius enim ad iram provocatur, sed hac demum incensa nihil impetum ejus retinere potest. Iehova e. g. Ies. LIII, 7. 8. in vehementia irae suae (בְּשֵׁפֶרֶת אֵפֶסֶת) e conspectu Israëliitarum discessit, (beneficia in eos non amplius contulit,) per breve tempus eos dereliquit; (auxilium suum illis subtraxit;) Cap. LX, 10. in ira sua (בְּקֶדְפוֹ) eos percussit, i. e. plagis affecit; et Ierem. XXXIII, 5. iracundia furens (בְּחֵפֶז וּבְחֵמָה) multos homines interfecit et e conspectu incolarum urbis propter pravitatem eorum se subduxit.

B

At

At iracundia haec ad exiguum tantum tempus durat, momentanea (כִּרְצֵעַ קֶטָן) est saevitia ejus, Ies. LIII, 7. 8. non in perpetuum retinet iram suam; (לֹא הִחַיֵּיק לְעַד אָפוֹ) Mich. VII, 18. Ierem. III, 12. poenis inflictis ira statim defervescit et paulatim penitus cessat; non agit pro irae suae fervore, (חֲרוֹן אָפוֹ) ita ut populum penitus perdat, non veniet irae excandescens plenus (בְּעִיר) ab עוֹר, fervere,) in perniciem ejus, Hof. XI, 9.

Causa celeris hujus mutationis est *animus ejus ad misericordiam pronus*; misericordia iram pellit atque sedat, misericordiam peccatoris animadvertens Deus ejus iterum miseretur, quoniam benignus, gratia et amore plenus est, et benignitate delectatur, Ies. LIII, 7. 8. LV, 7. Mich. VII, 19. Ierem. III, 12. Ad hunc animum Dei describendum formula illa antiquissima Mosis et Davidis temporibus valde usitata: יְהוָה הֵנֵן רַחוּם אֶרְךְ אַפַּיִם וְרַב חַסֵּד *Deus benignus, misericors, longanimis s. tardus ad iram et insigni clementia*, interdum adhuc adhibetur, ut Ion. III, 2. Iôel. II, 13. Nehem. VIII, 17. coll. 2. Mos. XXXIII, 6. Ps. LXXXVI, 15. CIII, 8. Summam hanc misericordiam esse, *Hoseas* Cap. XI, 8. his verbis declarat: *Totus animus meus*, inquit Iehova, *est commutatus*, (נִהַפְּףָ עָרִי לֵבִי) *et solae commiserationes meae aestuant*, (יַחַד נִכְמְרֵי נְחוּמִי) i. e. intimo commiserationis affectu erga te moveor; et *Ieremias* Cap. XXXI, 20. חֲמוֹ מַעֵי לוֹ רַחֵם *incauerunt intestina mea*, i. e. animus meus intime moveatur, ut tui omnino quam maxime miserear. Pulchram quoque hujus commiserationis divinae imaginem *Iesaias* Cap. XXXVIII, 13 — 16. exhibet. *Consolatur*, ait, *Iehova populum suum, afflictorum suorum miseretur. Zion dicit: Iehova me dereliquit, Dominus oblivioni me tradidit.* (At Iehova respondet:) *Num obliviscetur mulier infantis sui? an immisericors erit in filium suum proprium? Immo etiamsi obliviscantur illae, tamen tui non obliviscar; en! palmis (meis) insculpsi te, (tui semper recordabor,) ita ut muri tui (diruti) semper in conspectu meo sint*, i. e. misericordia mea non affectus est mox transiens, sed constans et actuosus, ita

ita ut prioris felicitatis restituendae maximam curam adhibiturus sim.

Interdum etiam rudis imago poenitentiae divinae in his descriptionibus remissionis poenae occurrit. Hujus poenitentiae causa ex mente vatum sacrorum eadem illa misericordia est iracundiae succedens. Misericordiam populi sui perspicuens eamque commiserans mox cum poenitet calamitatis ei allatae, infortunium hoc statim tollere studet. Ita Ioël Cap. II, 13, 14. poenae inflictae, ait, cum poenitet, (נָחַם עַל-הָרָעָה) forsitan hac poenitentia ductus terram iterum fertilem reddet, ut sacrificia et libamina ei offerre possitis. Praesertim haec poenitentia Deo tum adscribitur, cum poenis nondum illatis populus comminatione earum commotus ad meliorem frugem rediit. Ita Ionas Cap. III, 2. Deum, dicit, misericordem esse, eumque calamitatis, quam minatus fuerat, statim poenitere (נָחַם הָרָעָה); ipse Deus Ierem. XVIII, 7. 8. declarat: minabor alicui genti aut regno everisionem, excidium, interitum; quodsi autem reverterit a pravitate sua, me etiam poenitebit calamitatis, qua eam afficere decreveram; quod etiam Cap. XXVI, 3, 13. iisdem fere verbis repetitur.

Consequens omnium istarum animi divini mutationum est gratia ac benevolentia Dei erga populum resipiscentem immutabilis ac aeterna. Deus genti suae iterum favet, Ies. XXXX, 2. clementia ejus nunquam dimovebitur, Cap. LIII, 10. si quis quaeret Iehovam, inveniri se faciet, si auxilium ejus implorabit, hoc jam prope aderit, Cap. LV, 6. benignitate delectatur, Michä. VII, 18. et hanc benevolentiam non verbis tantum, sed factis etiam demonstrat, summisque beneficiis gentem sibi reconciliatam ornat. Poenis peccata expiantur, (כָּפַר עֵינַי) Ies. XXII, 14. calamitate igitur exantlata, culpa sublata est et a puniendo desistit Deus. Quare Iesaias Cap. XXXX, 2. eum ob causam Deum iterum populo suo propitium esse refert, quod duplum jam acceperit e manu Iehovae

propter peccata sua, h. e. supplicia, quibus affecti fuerint, magnitudinem culpae sibi contractae longissime superent.

Videtis hic notionem valde imperfectam animi Dei ad ignoscendum proni, quae nisi forte descriptio poetica est, certe haec quoque aetas nondum ea ratione docendi usa est, quae ab omni ruditate vacet. Quaedam tamen *melioris Dei cognitionis vestigia* passim reperimus. Huc referenda sunt dicta Thren. III, 33. *Non lubenti animo (פֶּלֶבֶן) premit et affligit homines*, (id potius expropterfacit, quod poenis ad emendandos eos opus est.) et Ezech. XVIII, 21 — 23. *Liberi ob peccata parentum non puniuntur*, (ut antea credebatur,) *sed is tantum punietur, qui peccavit*. — *Impius autem ad meliorem frugem rediens non infelix reddetur, sed propter bonas actiones perpetratas felicitatem sempiternam consequetur (תֵּהָרָה לֹא יָמוּת)*; nam morte i. e. interitu impii non delectatur Deus, optat potius, ut a sceleribus recedat et vivat, s. felicitate fruatur. De ira Dei incensa et sedata hic ergo non est sermo, quemadmodum in antecedenti oratione moralia tantum delicta a peccatore commissa adducta reperiuntur.

Restat, ut de *conditionibus* quaedam afferamus, quibus peccatorum veniam, misericordiam et benevolentiam Dei vates adstrinxere, quae quidem ita comparatae sunt, ut diversos emendatae cognitionis Dei gradus in illis perspiciamus. Ninivitae, interitu urbis a Iona annunciatum, jejunium edicunt, omnes tam summi quam infimi, etiam rex et proceres ejus ciliciis se operiunt et in cinere sedent, tum veniam petentes et vitae emendationem promittentes sperant, Deum iis veniam daturum et ab irae suae fervore recessurum esse. Quae cum videret Deus, poenituit eum everfionis, quam comminatus fuerat, et a poena illa decreta abstinuit. Ion. III. Contra oppositam plane conditionem gratiae Dei recuperandae *Joel* Cap. II, 12. proponit, internam animi mutationem postulat, externis poenitentiae signis tantum non spreis atque contemptis: *convertite vos ad Iehovam*, inquit, *toto pectore,*

pectore, jejunió, ploratu et plangore, et non tam vestes, quam corda vestra scindite, quando ad Iehovam Deum vestrum revertimini.

Praeterea omnes vates *ea tantum lege* liberationem a poena promittunt, ut magnam suam *culpam agnoscant* Israëlitaë et coram Deo *profiteantur*, peccatorum priorum serio eos *poeniteat*, scelera commissa in posterum magna cum cura *omittere* studeant, Dei non amplius obliviscantur, sed toto animo eum colant, veniam peccatorum ab eo supplices petant, legibusque ejus obtemperent, et hoc modo in omnibus rebus fidem ei faciant. Ies. XXXX, 22. LV, 7. Ierem. XVIII, 8. XXVI, 3, 13. Et si forte in quibusdam locis haec emendatio non diserte postulatur, ut Amos. VII, 2. Hof. XI, 8. 9. Mich. VII, 18. 19. tamen ex universo sermone et aliis vaticiniis satis apparet, hanc veniae conditionem ex mente vatum omnino supplendam esse. Contra omnem spem sublationis poenarum prophetaë Israëlitis praecedunt, si vitam suam pravam mutare pertinaciter recusent. Hof. I, 6. Ierem. V, 3 sqq. VI, 8. XVIII, 10 sqq. XXVI, 4 — 6. Ezech. XVIII, 24.

At in enumerandis peccatis, quibus Israëlitaë se contaminasse dicuntur, vates omnino *variant*. Ieremias praesertim eos propter idololatriam et fidem ergo Deum fractam objurgare videtur, Cap. III, 6 — 13. VII, 3 sqq. XVIII, 4 sqq. et interdum tantummodo vitiorum mentionem facit, quae legis moralis violatione nituntur, ut Cap. VIII, 3 — 9. foedus etiam novum Deo cum Israëlitis olim ineundum Cap. XXXI 31 — 33. XXXII, 38 — 40. generales tantum promissiones has continet: Deum legem suam cordi et animo eorum inscribere velle, ita ut perpetuo eum reverituri sint; qualem autem legem vates intellexerit, num positivam, an moralem, certo satis definiti nequit, quamquam propius inclinatur animus, ut priorem intelligi arbitremur.

Prioriorem autem emendationis moralis notionem in Iesaiæ et Mishæ carminibus Ies. I, 16 — 18. LVIII, 3 — 7, et Mich. VI.
ex-

expressam videmus. Etenim disertis verbis vates illi serio monent: sacrificia, jejunia, dierum festorum celebrationem aliasque actiones ad cultum externum pertinentes Deo placere ejusque gratiam et peccatorum veniam Israelitis conciliare non posse, quia tot tantisque sceleribus se contaminaverint; ad hunc finem potius opus esse, ut *lavent se atque mundent, pravitatem animi sui e conspectu Dei removeant, malefacere desistant, benefacere discant, jus et aequitatem exercent, oppressos defendant, pupillis patrocinentur et viduarum causas agant*, Ies. I, 16. 17. porro: ut *catenas, quibus fratres suos injuste constrinxerint, solvant, in servitutem redactos liberos dimittant, omne jugum abjiciant et ab oppressione desistant, esurienti impertiantur panem, inopesque petentes domum introducant, vestiant nudos, neque se subdant fratribus suis*. Cap. LVIII, 6. 7. tandem: ut, *quae jam declarata sint bona, et quae Deus exigit, exhibeant, scilicet justitiae et acquitatis studium, pietatis amorem et animum Dei reverentem*, Mich. VI, 8. Quam praeclare autem haec dicta sint, et quantopere rudem illam pristinorum notionum indolem superent, nemo non attenta comparatione facta statim videbit. Notionem hanc puriorem etiam *Ezechias* in carmine suo exhibet, etiamsi in exponenda ea longe abfuit, quin sublimitatem, ornatum atque ubertatem priorum picturarum *Iesaiæ* et *Michae* attingat. Is enim Cap. XVIII, 3 r. actionibus legi morali adversantibus antea enumeratis hac conditione remissionem poenarum et felicitatem promittit, si qualescunque praevaricationes, quibus se contaminassent, omitterent, et novum sensum bonum novamque mentem sibi compararent.

In his ergo melioribus veniae peccatorum adumbrationibus primum emendatae doctrinae diluculum apparuit. Quales autem progressus sequenti tempore in ecclesia Iudaica atque Christiana facti sint, alia occasione data indagabimus.


Haec autem eum in finem praefati sumus, ut dierum illorum in ecclesia Christiana memoriae nativitati Christi sacrorum decentem


tem atque piam celebrationem Vobis, CARISSIMI CIVES, studiose commendemus. Quanta enim sint Christi in universum genus humanum merita, quanta in nos collata beneficia, non est quod plurimis verbis Vobis explicemus. Nempe puriorem rerum divinarum notitiam, destructionem ignorantiae, superstitionis et vitiositatis, initium rationis adeo excolit, ut praecepta morum ac religionis subtilissime definire valeamus, et facilitatem, ad majores in dies virtutis ac felicitatis gradus nos evehendi, statore ac promotore religionis nostrae debemus. Ut igitur tot tantaque ejus beneficia his diebus sacris in memoriam revocetis, gratum erga eum animum tum verbis tum factis profiteamini, praecepta ejus praeclara saepius attente reputetis, ut ἀληθευειν discatis ἐν ἀγαπῇ, amore magis magisque excellatis in cognitione omnique perspicentia, πεπληρωμενοι καρπων δικαιοσυνης των δια Ἰησου Χριστου, ἐς δοξαν καὶ ἐπαυρον Θεου, serio Vos ac peramanter hortamur. P. P. die Nativitatis Iesu Christi, Anno MDCCCLXXXVII.




22

- 24, *Doquintus, quatenus disciplina religionis
et theologiae christianae pendeat ab historia
Iesu Christi. Auctore Ammon. Göttingae*
- 25, *Variarum de origine fessu pentecostae experientis
Göttingae.*
- 26, *Botanicae de futura corporum exanimatorum
inspiratione, autem Christi et historia. Auctore
Staudlin. Göttingae.*
- 27, *Comment. de legis Moysiacae momento et
ingenio, collectione et effectu. Auctore
Staudlin. Part. I. Göttingae 1796.*
- 28, *Scriptis II.*
- 29, *De religione naturali publica. Auctore Staudlin.
Göttingae.*
- 30, *Declaratio diversitatis linguarum ex
traditione Semitica Originis. Auctore Cichorn
Göttingae 1788.*
- 31, *Deu zur Veranschaulichung der Jesusschicksel
verfasst von Dr. Ammon. Göttingae 1795.*
- 32, *Ueber die Aufklärung des inneren Mordes
innerhalb Mystiken mit dem moral. Mord. Ein
Sonderdruck der Schrifttafel von Dr. Ammon.
Göttingae, 1796.*
- 33, *Von der Aufklärung und der Beschaffenheit
innerhalb der gottl. Offenbarung. von Dr. Ammon,
Göttingae, 1797.*







II

Salom. 9, 1.), alma mundi conditrix, hominumque
 Prov. 8, 31. Sap. Sir. 24, 6 f. Ioh. 1, 5.), post multos
 osque irritos mortalium erudiendorum conatus (Sap.
), in terra Israelitica fixit pedem (κατεσκηνωσε v. 8.
), humanamque sibi Iesu Christi formam induit. 'O
 ἐγενετο: diuina sapientia inter Iudaeos surrexit,
 o vnita. Praeter moralem istam diuinae sapientiae
 em vix opus erat, vt alia historiae I. C. primordia
 aret, quamuis accurate satis et sine vllis traditionum
 de illis exponere potuisset.¹⁶⁾ Eandem viam in-
 dius Paulus, qui diuina Messiae praedicata colli-
 tenus a Ioanne differt, vt in sapientiae, quam sum-
 en in Messiam transfudit, descriptione non Iesaiam,
 biorum auctorem sequatur, quare factum est, vt
 rimum a Deo creatum (πρωτοτοκον πασης κτισεως
) esse adfirmet, quum de sapientia idem contendat
 v. 8, 22. קנני (ἐκτισε Deut. 32, 6.), הוֹלֵל, רִכְוּ, רִשְׁוֹנָה
 וְיִסְמָא). Ioannes autem, spiritum sapientiae inter
 Dei attributa referens,¹⁸⁾ τον λογον vere Θεον, hunc-
 ενσαρκωθεντα esse adferit.¹⁹⁾ Plura decerpere ex
 historia

HERDER *vom Erlöser der Menschen*, p. 60 sqq.

OPPE ad Rom. IX, 5.

ICHORN l. c.

dam hanc in rem iam bene disputata videas in cel. HEZELII
Schriftforscher, tom. II. p. 549 sqq. De discrimine Christo-
 oannis et Pauli, quod hic innuere tantum licet, alio loco co-
 sponposituri sumus.

35.
3
3
31.
29.

